AD

EXEQUIAS

VIRI-JUVENIS

PROBITATE MORUM ATQUE OPTIMARUM LITERARUM ELEGANTIA ORNATISSIMI,

JOHANNIS CHRISTOPHORI HAHN,

Philosoph. ac LL. Studiosi,

CIVES SUOS

MORE CONSUETO

INVITAT

RECTOR ET SENATUS

REGIÆ ACADEMIÆ REGIOMONTANÆ.



REGIOMONTI, Literis REUSNERIANIS,

Gloriosissimum Resurrectionis Dominicæ Triumphum, quoties mens pia cogitat, toties immotam propriæ Resurrectionis certitudinem confirmari legit. Cùm enim hæc æterni Redemptoris ineffabilis sit bonitas, ut sibi Capiti supremo atque cœlesti, nos membra sanctissimô non minùs, quàm arctissimô vinculô univerit, certè quicquid gloriosissimi decoris Caput ipsum obtinet, omnem ejus fructum uberrimum & in singula membra derivat. Quâ ratione Servator noster, post innumeras vitæ hujus difficultates, post impudentissimum Diaboli ipsius admissum insultum, post tot maledicorum convicia, iniquorum condemnationem, crudelissimorum parricidales manus, post mortis denique ipsius venenata spicula, æternô honore coronatus augustissimâ victoriâ illustris, redivivus, jam omnibus, quæ adversa sibi senserat, imperet atque perenne Jus dicat, præteritô solemni tempore & publicè & privatim summâ cum devotione meditati sumus, & adhuc meditamur, illud *Siracidis* probè observantes: *Gratias Sponsoris ne obliviscaris, dedit enim animam suam pro te;* (a) nec non istud Paulinum: *Memento JEsu Christi, qui suscitatus est ex mortuis!* (b) Haud aliam & Pios, quotcunque ceu vera vegetaque membra huic suo Capiti constanter adhærent, in hâc vitâ experiri sortem, quotidiana experientia clamat. Vivunt in hoc mundô velut in ergastulô, in quô animum ipsum non fabulosæ Poëtarum furiæ, sed veri è styge hostis graves agitant inimicitiæ, quibus, quicquid mundi hujus nouit malignitas, succenturians, grande addit augmentum, carne ipsâ, quam gerunt & alunt, propriâ in perniciem conspirante. Et quod miseri corporis dolores? quot morbi? quot fortunæ graves vicissitudines? quot famæ insidiantes, obtrectatores, miserum hunc flebilis hujus vitæ statum aggravant? adeò, ut reverâ calculum ponens, vitam omnem squalidum & anxium ergastulum continuô variæ passionis successu repletum dicere liceat. Ast superanda est ærumnosi hujus Carceris molestia & atrocitas, & quanta ejus vis obruat, unicâ hâc Resurrectionis Dominicæ spe fulcienda atque erigenda. Vicit ista omnia, & infinitis modis majora vicit *LEO de Tribu Juda*, at non sibi, sed nobis vicit; ut hujus Ducis atque Monitoris voce instructi partim, debellandorum hostium modum discamus, partim firmati virtute, superare eorundem crudelitatem valeamus. Ipse, Caput, mortis vincula lætissimô Resurrectionis die perrumpens, non solùm fidelium suorum membrorum in ergastulô hujus mundi laborantium vincula solvit, claustra pandit, quin placidâ morte eorundem animas in æternam libertatem vindicat, & à terrenis miseriis ad cœlestia gaudia secum trahit; sed etiam statô tempore illorum corpora, sepulchris eorundem, vi Resurrectionis suæ, reseratis, *super pulverem stare faciet.* (c) Hôc enim epiphonemate gloriosissimi nostri Victoris Epinicium munitum est: *Ego vivo, & vos vivetis!* (d) Quam itaque felices! qui haud diu in Carcere hujus seculi detinentur, sed piâ morte soluti nunquàm intermoriturâ libertate donantur; & quam felices! qui

(a) Siracid. cap. XXIX. 15.
(b) II. ad Timoth II. 8.
(c) Job. XIX. 25. *Magnas Christo debemus gratias, qui morte & resurrectione propriâ mortem nostram spe resurrectionis animavit,* sunt verba Honorati jam morientis, quæ refert *Hilarius* in vitâ Ejus.
(d) Joh. XIV. 19.

quì cum patiente ac moriente suo Servatore & suum feralem lectum conscendentes, ipsô gloriosô Resurrectionis die, infallibili futuræ suæ propriæ Resurrectionis fide, victricibus Ejusdem manibus animam suam commendare valent. (e) Obtigit hæc Felicitas Viro-Juveni, *Nobilissimo atq; clarè docto,* DOMINO JOHANNI CHRISTOPHORO HAHN, *Philosoph. ac J.U. Studioso, dum viveret, perquàm industrio.* Natus is est hîc Regiomonti A. C. 1692. d. 20. Maji, *Patre, Virô admodum Reverendô atque Amplissimô, Dominô BERNHARDO FRIDERICO HAHN, Sacr. Reg. Majest. in Prussiâ à Concionibus in Templô Basilicæ hujus loci secundar. Matre* verò *Nobili, sexûsq; sui ornatâ Fæminâ, BARBARA, natâ Bülowiâ.* Et posteaquàm intercedente eodem die Initiationis Sacramentô, divinæ Viti, Christo DEO, insitus erat, mox hujus gratiâ crescentibus annis amœnissimarum Virtutum pullulârunt palmites, qui ut solidius statuminarentur, solertissima optimorum Parentum educatio accedebat, dum & ipsi propriâ, & eorum, quibus formandam credebant egregiam indolem, adscititiâ curâ, ne quid deesset promovendæ futuræ spei, providebant. Eô fine *Beatum nostrum* inclytæ nostræ Scholæ Palæopolitanæ concrediderunt, ejusdem *t.t. Moderatore Virô Clarissimo & in Juventute Scholasticâ ducendâ maximè industriô, Dnô: M. Daniele Martini,* in quâ sub fideli manuductione Præceptorum suorum, præsertim *B. Domini Michaël. Sand, Colleg. Prim.,* & qui adhuc utilitati Scholasticæ hujus Juventutis indefessè invigilat, *Domini Daniel. Wendt,* prima solidioris Literaturæ posuit fundamenta, ac brevi tantùm profecit, ut nonnisi cum laude superiores, ceu vocantur, Scholæ classes occupaverit. Neque in his eidem cordati atque dexterrimi Præceptores defuerunt, quorum & publicâ & privatâ informatione usus est, inter quos præcipuè laudandi, *Clarissimus Dominus Daniel Lichtenberg, t.t. Scholæ istiûs Con-Rector meritissimus; Excellentissimus Dominus M. Michaël Stobæus, t.t. Pro-Rector, nunc celeberrimi Gedanens. Gymnasii Lingg. Orient. Professor dignissimus; nec non B. Dominus M. Michaël Hoynovius, t.t. laudatæ Scholæ Rector vigilantissimus,* sub cujus moderamine varias etiam Orationes in Actibus publicis non sine applausu Auditorum recitavit, seseque ita gessit, ut A. 1710. laudabili testimoniô & multâ cum benedictione ab Eôdem è Triviô hôc in Libertatem Academicam dimitteretur. Receptus in numerum Civium Academicorum d. 24. April. *à Magnificô t.t. Rectore, Viro Excellentissimô, Amplissimô atq; Experientissimô Dominô Georgiô Rast, Medic. D. & jam Prof. Primar. nec non Facultatis suæ Seniore,* nondum se omni libertate donatum, sed adhuc sibi & in hoc vitæ statu, veluti in carcere alacriter currendum esse sensit. Consvetum itaqve in Philosophicis studiis Cursum privatos inter parietes instituit, Directorem eligens *t.t. Virum Clarissimum, Dominum M. Michaël. Gehrken, jam Philos. P.P. Extraordin.* sub cujus etiam Præsidiis in disputandô privatim summâ cum industriâ se exercuit; *publicè* verò, inprimis Lectiones *Venerandi Senioris Facultatis Philosophicæ, Domini M. Georgii Thegen, Philos. Pract. Prof. Ordinar. celeberrimi,* multô cum fructu frequentavit. Cùm autem Jurisprudentiam pro scopô Studiorum suorum elegisset, & hujus *Celeberrimos Doctores* tàm publicè quàm privatim legentes sedulò audivit, *Viros Prænobilissimos, Consultissimos, Excellentissimos atque Amplissimos, Dominum Johannem Stein, J.U.D. & Prof. Secund. Ordin. S. Reg. Majest. in Prussiâ Summi Tribunalis & Venerandi Consistorii Sambiensis Consiliarium gravissimum; Dominum Balthas. Tilesium, J.U.L. & P.P. Dominum Theod. Boltz, J.U.D. & P.P. nec non Dominum Georg.* Schultz/ *J.U.D. & P.P.* Horum ab ore in-

(e) vid. M. Joh. Sam. *Adami* Cornu Copiæ Part. II. num. 50. p. 200. ubi id Sigismundo I. Regi Poloniæ contigisse refert.

indefessus pependit Auditor, & ulterius pependisset, exteras quoque Musas salutasset, atque ita in spem Patriæ certissimam adolevisset, nisi morte præventus in cœlestem Patriam evocatus fuisset. Philosophiam coluit, ast hæc potissimum sublimior ipsius Philosophia fuit: *scire JEsum, Eundemque crucifixum!* Jura, Statutaque humana quotidie summô cum ardore scrutabatur, haud tamen ignarus peremptoriæ istiûs Legis Divinæ: *Constitutum est hominibus semel mori, post hoc verò Judicium.* (f) Hinc ne hoc exitiosum, istud verò terribile aliquandò experiretur, pro virili, assistente divinâ gratiâ, integritati vitæ studuit, talemque se Civem præbuit, quales exoptaremus omnes. Nam & solidâ in DEum pietate, & obsequiosissimô erga Superiores cultu, & svavi erga alios, præsertim Commilitones suos, qui defuncti maturum obitum acerbè lugent, modestiâ semper conspicuus fuit, adeò, ut nihil ferè in ipsô juvenile inventum, præter ætatem. Placuit interim Supremo rerum omnium Directori, *Beatum nostrum*, citra omnem vel aliorum, vel propriam spem è Carceribus hujus vitæ, inopinatâ morte, sacrô hôc ac memorabili tempore in consummatissimam æternæ Gloriæ libertatem vindicare. Dum enim *Dominicâ Palmarum* memoriam patientis ac morientis Servatoris sui culturus Ædem Tragheimensem visitat, acutâ febri ex improvisô correptus, inde confestim recedere cogitur, ubi tumulum sibi suum elegerat; Lecto hinc affixus, cum præsentissimam medicamentorum virtutem, mali vis eluderet, è virium defectu novissima instare facilè didicit. Jam itaq; cœlesti Viaticô contra mortis terrores munitus, quô se denuò victrici suo Capiti, *CHRISTO*, tanquàm vividum ejus membrum *Domin: Oculi* publicô in Coetu verâ fide junxerat, nihil ampliùs in desideriis habuit, quàm ut ultimâ benedictione venerandi sui Confessionarii, *Viri summè Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi, Domini Bernhardi von Sanden, S.Theol. D. & Prof. nec non S R. M. à Concionibus Aulicis Primarii, Sambiens. Consistorii Consiliarii gravissimi, Facultatis Theologicæ Senioris Venerandi, & t.t. Rectoris Academiæ Magnifici*, dimitteretur, cujus solatiis corroboratus, immotâ fide in Christum crucifixum & à mortuis resuscitatum inter suspiria & preces adstantium, in amplexu dilectissimi Fratris sui senioris, *Viri Excellentissimi, Domini M. Joh. Bernh. Hahn, Prof. Publ. Extraord.* ipso Resurrectionis Dominicæ gloriosô die, circa vesperam horâ VI. placidè obdormivit, anno ætatis XXII. Mens. XI. & I. diei. Inopinatus atque præmaturus hic *Beati nostri* ex hâc vitâ discessus Fratres quidem post se relinquit lugentes & mœstissimos; ast hi cogitabunt, hominem vitæ huic non donatum, sed tantùm commodatum esse, qui, cum partes suas in hâc Mundi fabulâ egerit, protinus ex publicô Universitatis theatrô discedere, & suum alteri locum relinquere cogitur; nec attendendum esse quanta, sed qualis vita fuerit, cùm non ille felix, qui diu, sed qui benè vixerit, dicendus sit; hoc ipsis in solatium cedet, quod *dilect. Frater*, nunc omni vitæ hujus difficultate, ipsiusque mortis tyrannide fortiter superatâ, cum Victore suô Capite, gloriosissimô inter Cœlites triumphô ovet. Vos autem CIVES, Commilitoni vestro frequenti vestrâ præsentiâ non solùm supremum amoris & honoris præstate officium, sed etiam illius exemplo discite, & quotidiè mori, & in vulneribus Servatoris vestri ita morti occumbere, ut aliquandò etiam fructus Resurrectionis Ejus participes fiatis! P. P. A. C.

MDCCXV. III. Calend. Maji.

(f) Hebr. IX. 27.

(o)